

Bibliothèque numérique

medic@

**Riolan, Jean - candidat / Marescot,
Michel - président. - Estne scientia
rerum naturalium Medico necessaria ?**

1602.

Paris

Cote : ms 73 n°340

AD QVODLIBET ARIAM.

QVÆSTIO MEDICA.

340

Matutinis excutienda disputationibus, die Iouis 12. Decemb. In scholis Medicorum Parisi. D. Michaële Marefcot, Medico Regio moderatore.

Estne scientia rerum naturalium Medico necessaria?

Vbi definit physicus incipit Medicus. Definit autem in contemplatione hominis, utpotè physici corporis parte compositissima: proinde medicus hanc particulam minutius & accuratius suscipit explicandam, physicisque conclusionibus utitur tanquam certis & indubitatis principiis. In homine inquam tota medicina vertitur, tanquam in proprio & adæquato subiecto: cætera ut mineralia, plantas, & animalia, ad eum, velut ad finem, refert omnia. de quibus non absolute ut physicus, sed comparate, prout homini vsui esse possunt, edisserit. Iis verò utitur ut alimentis, medicamentis, aut antidotis: Hominem verò diuidit primum in animam, & corpus; Animam, in substantiam, facultates, & functiones. Corpus in continentia, contenta, & impellentia, quibus vniuersa physiologia concluditur.

HUMANI corporis duo tantum sunt elementa, Calidum, & Humidum, calor enim ex humido generat hominem, eodem genitum nutrit, & auge: Frigus, & Siccitas nihil sunt quam eorum priuationes, Opifex iste calor quamuis origine sit cœlestis, contagione tamen fit elementaris: permixtus enim semini, cogendo homogenea, & secernendo heterogenea, ex spumoso excremento partes spermaticas, in adultis irreparabiles: ex menstruo sanguineas efformat, principes omnes simul, quas tamen efficit ministrans conformatrici, quam qui rationalem dixerit, ille eodem iure aues quod mirabili artificio nidos truant, rationales dixerit.

ANIMA est forma corporis viuentis, non *ἐντελέχεια*, multo minus *ἀνέκχρηστα* corporis organici. Viuentium autem tria sunt genera, quædam enim reguntur ab anima vegetante, quæ simili nutriuntur, & crescant, procreantque simile, non mouentur tamen loco, sed in loco. quædam viuunt & reguntur anima sentiente, quæ triplicis spiritus ministerio, animal nutrit, auge, viuificat, mouet loco, visu colores, auditu sonos, gustu sapores, olfactu odores, tactu tractabiles qualitates discernit: horum omnium differentias sensu communi distinguit, quas in memoria thesauro ad vsu recondit. Tertium genus viuentium regit anima rationalis, cuius functiones sunt, partim naturales, nutrire, augere, & simile procreare: partim vitales, ut arteriarum dilatatione vitam autem trahere, earundem constrictione fuliginem excernere, quæ diuerso tempore fiunt in arteriis & corde, cuius pulsatio in editis, ac foetu, peræque necessaria est: partim animales, ut sentire, mouere, respirare, recordari, & intelligere.

DUO sunt coniuncta & sensibilia ortus nostri principia, vtriusque parentis semen, & menstruum: non illa à Paracelsò falsò & ridiculè conficta, Sal, Sulphur, & Mercurius, semen est benignum excrementum vltimi alimenti, à toto deciduum; quod in testibus nomen seminis, simul & vim prolificam acquirit, potentia sola animatum, materiæ & formæ rationem habens. Menstruum laudabile quoque excrementum, quatuor humores includit, quos hepar vno & eodem calore procreat: materiæ enim potius, quam efficiendi dissimilitudinis causam acceptam ferimus. Omnes distribuuntur per venas ut nutrant, non promiscuè, sed biliola portio biliosas partes, ut pulmonem, pituitosa, pituitosas, ut cerebrum, quod idcirco natura sua frigidum potius, quam calidum affirmamus.

MEDICVS non est similis architecto, sed ei qui iam constructam domum contèplatur, eamque in primas vsque partes & simplicissimas (à quibus omnis actio) resoluat. Hominis enim à natura perfecti partes primùm heterogeneas, deinde homogeneas, ut ossa per articulum mobilem iuncta, venas, & arterias, corporis totius dissectione inuestigat: quæ sunt morborum non tantum communium, ut febrim, sed etiam particularium prima subiecta. Ignoratis autem iis quæ sunt secundum naturam, quomodo sciri possunt quæ insunt contra naturam? Ignorata cuiusque natura, qui sciam quantus sit recessus à natura?

Ergo scientia rerum naturalium Medico necessaria.

Propugnabit IOANNES RIOLANVS Parisinus. Anno Domini 1602.

D. DOCTORES DISPUTAVRL

M. Antonius Quinquemauf.
M. Iacobus d'Amboise Med. Reg.
M. Iacobus Cousinot.

M. Petrus Serpin Profef. Reg.
M. Ioannes Drenou.
M. Petrus Pijard.

M. Michaël Marefcot Med. Reg. & preses.
M. Albertus le Febvre Med. Reg.
M. Marcus Miron Med. Regius.